



S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Nicephorus Martyr. Sincera reconciliatio cum inimicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. NICEPHORUS MARTYR.

Sincera reconciliatio cum inimicis.

Deus, pacis caritatisque amator & custos; da omnibus inimicis nostris per S. NICEPHORI merita pacem caritatemque veram, & cunctorum eis remissionem tribue peccatorum, nosque cum ipsis amore tui reconcilia.

Ora pro inimicis nostris,



Valerianus & Gallienus Imperatores
an. 257 suscitaverunt persecutionem
octavam, sub qua Antiochiæ in Syria com-
prehensus Sapricius Presbyter, cum post
tormenta fortiter tolerata ad capitale sup-
plicium duceretur, à fide excidit hac occa-
sione. Veterem amicum Nicephorum, or-
dine laicum, nescio qua offensa irritatus
implacabiliter odisse cœperat. Cumque is à
jam jam morituro per amicos submissos,
perque seipsum genibus advolutum, ve-
niam deprecaretur; renuit obstinatus, &
gratiâ perseverantiæ indignum se præbuit.
Nicephoro autem, fraternam pacem, juxta
Euangelium, quærenti, eoque merenti ut
filius Dei vocaretur, corona obtigit, illius
subtracta capiti. Christianum enim se pro-
fessus, turpis apostatæ locum implevit, ca-
pite plexus: & insigne ad posteros exemplum
reliquit, quo intelligant omnes, Dei amici
esse non posse, qui proximo inimicus ma-
nere vult. Rem gestam antiquus Auctor
scripsit, quomodo ea inter opera Meta-
phrastæ legitur; exornavit autem quidam
Joannes Sardium Episcopus, sicuti eam
Bollandus retulit. *Si tradidero corpus meum
ita ut ardeam, charitatem autem non habue-
ro, nihil mihi prodest. 1 Cor. 13.*